





14
Pra. 11. num. 1
15
1702
36

Disputatio Inauguralis Juridica
De
**Revocatione Pro-
curatoris Tacita**

ad ductum Cap. pen. de Procuratoribus in Sexto,

quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

PRINCIPE REGIO ET ELECTORATUS SAXONICI
HÆREDE ETC. ETC.

Permiffu Inclytæ Facultatis Wittebergenfis
PRÆSIDE

DN. GODOFR. STRAUSSIO, Jcto,

& Antecessore celeberrimo, Potentissimi Regis Poloniarum
atqve Saxonie Electoris in supremo Provocationum Judicio, nec non Se-
renissimi Principis Anhaltini Servest. Confiliario Aulico Splendidissimo,
Facultatis Juridicæ in hac Universitate Ordinario, Decret. Prof. Publ.

Curie Electoral. Consistorii & Scabinatus Assessore Gravissimo,

Dn. Cognato ac Patrono suo colendissimo

Pro Licentia

Summos in utroqve Jure Doctoris

Honores impetrandi,

placido eruditorum examini sistit & subjicit

ad Diem X. Octobr. A. M DCC II.

GOTTL. BENJAMIN FUHRMANN, Dresdenf.

WITTEBERGÆ, Typis CHRIST. SCHROEDTERI, Acad. Typ.



Disputatio Inauguralis Juridica

Revocatione Pro-

curatoris Facias

ad Augustum Caesaris de Procuratoribus in Sexto

ACTORIS MAIORIS INIURIA
SPELTIUM VITAE VITAE VITAE

DN. ERIDRICO AUGUSTO

BRANCHE REGIO ET ELECTORATUS SAXONICI

HABEDI. ETC. ETC.

Permitti facias Facias Windesheimensis

PRÆSIDI

DN. GODOFR. STRASSIO, JCO.

& Advocato celeberrimo, Potentissimi Regis Poloniarum
Causa Polonica Conditionis & Rebus in Altitate Civitatis
facultas Juridica in hac Universitate Ordinaria, Doctor, P. B. I.

Curia Polonica Conditionis & Rebus in Altitate Civitatis

PRO IURE


Summo in hunc per Doctorem


Honori impendit

placitum etiam in hunc libellum & libellum

GOTTI STRASSIO, JCO.

WITTESBERG, JCO. STRASSIO, JCO.





D. A!

§. I.



Voluntatem hominis declarari vel expresse vel tacite nemo unquam inficias ibit. Illud fit, verbis, vel literis. Hoc vero fieri intelligitur per facta vel per patientiam nostram. Non solliciti erimus in praesens de voluntate expressa, sed tacita solummodo voluntas nostras occupabit cogitationes, perpendendo scilicet aliquatenus, an ea aliquem in jure sortiatur effectum. Et sane non possumus non cum Dn. Dr. Philippo observ. i. ad Decis. Elect. 66. asserere, quod tacitum in iis casibus, in quibus verba expressa non pro forma actus requiruntur, idem operetur quod expressum vid. Tab. l. 5. t. 26. Art. 9. Ad sunt quamplurimi in Jure nostro tam Justiniano quam Canonico textus, qui nostram hanc confirmant sententiam, eamque variis luculentissimis exemplis illustrant. Sic in l. 2. ff. de pactis expresse dicitur, quod etiam tacito consensu homines inter se convenire intelligantur, statimque

A 2

timqve elegans subnectitur exemplum, à creditore
desumptum, qui reddendo debitori suo cautionem seu
chirographum remisisse ei debitum creditur. Nec
minus duo elegantes reperiuntur casus in l. 8. ff.
quemadm. serv. amitt., ubi per solam patientiam,
nostram jus stillicidii immittendi ac jus viæ amitti
dicitur. Et quis omnes allegare vellet ejusmodi tex-
tus in jure pasim obvios? satis superqve iis paucis,
qvæ adduximus, exemplis patebit, assertum nostrum
Juri Justiniano non esse contrarium.

S. II.

Nec desunt nobis exempla ex Jure Canonico
depromenda. Inter qvæ nobis ante omnia arridet
illud, quod in capitulo penultimo de procuratoribus
in sexto legendum est. **Q**uem textum cum paulò
exactius perpendere, perqve totam hanc disputatio-
nem discutere nobis animus sit, DEUM ter. Opt. Max.
ardentissimis invocamus precibus, velit ipse operi
huic nostro asistere, suâqve gratiâ illud ita dirigere,
ut cœpta hæc nostra bene cedant & eveniant.

S. III.

Qvâ definitione procuratoris munus optimè de
scribi, & quibus modis ille constitui, vel quomodo
expressè removeri, aut in quas species mandatum
dispesci soleat, brevitatis studio meritò omittimus.
Ad sunt quamplurimâ hanc in materiam tractatus;
& ex inspectione supra dicti capituli statim apparet,
nobis duntaxat rem esse cum procuratore judiciali in
rem alienam constituto: quo ipso excludimus pro-
curatorem in rem suam, quippe qui, cum lis sua sit,
non

nōn potest revocari, quin imō removemus eo ipso omnes conjunctas personas, quibus pro alio in iudicio sine mandato experiri permissum est. Ea enim procuratorum nomine non possunt venire, cum nullum habeant mandatum. Non tamen abs re erit, breviter explicare, quid per verba revocare tacite procuratorem intellectum volumus. Revocare autem procuratorem hīc idem est, quod mutare. Manzius in tr. de proc. t. 3. p. 161. seu ut plenius dicam, revocare procuratorem significat declarare animum suum de procuratore mutando. Per verbum verō tacite voluntatem à lege vel ex facto vel aliā causā præsumtam vel fictam hīc intelligi, quis est, qui non videt? vide Lauterb. Comp. juris in t. de pact. p. m. 69.

§. IV.

His itaque præmissis ipsum nunc statim aggredimur opus, & sine ulteriore ambage ad enucleationem supra allegati capituli penultimi divinā favente gratiā procedimus; in quo sequentem invenimus casum. Titius ad causam suam in iudicio tractandam simpliciter constituit procuratorem Mevium; ille vero postea causam ipse gerere incipit, quæritur an propterea mandatum Mevio datum tacite revocatum censeatur? resque à Bonifacio 8. regulam in Capit. nostro constituendo ita deciditur, quod utique mandatum pro tacite revocato habendum sit, quoties Dominus sive ante sive post litem contestatam post mandatum datum liti se immiscet. Conf. Aug. Barbosa in Collectan. ad nr. Cap. n. i.

§. V.

Extra omnem igitur controversiæ aleam positum

tum esse videtur, quod principalis ante litem contestatam mandatum judiciale tam expresse quam tacite revocare possit l. 6. ff. de procur. c. 2. de proc. in 6to, cum tum temporis nec procuratori nec adversario ullum jus quæsitum sit. Sed quod tacita revocatio procuratoris post litem contestatam locum habeat, illud non caret dubio. Graviter huic asserto obstare videtur capit. 2. de proc. in 6to, ubi expresse dicitur, non posse procuratorem nolentem post litem contestatam à principali removeri; nisi ex iustis ibi adductis causis. Idem ferme assertit ius civile Justinianicum, uti videndum ex l. 17. 18. 19. 20. 21. & seqq. ff. de proc. & l. 22. C. eod. quæ leges scilicet omnes in eo conveniunt, quod Dominus rei controversæ procuratorem suum facta ab eo litis contestatione non possit à iudicio remove, nec istam in se suscipere, nisi ex iustâ causâ, huiusque præviâ cognitione. Nec vero sine ratione hoc est constitutum; Procurator enim per litis contestationem litem Dominio causæ non amplius integrum est, se processui sine iustâ causâ immiscere, cum una instantia non debeat dividi in plures personas; uti annotat Sichardus ad l. 22. C. de proc. velut ait Zæsius in Comment. ad ff. l. 3. t. 3. de proc. n. 19. cum ejusmodi mutatio oneret pudorem procuratoris, quod & Ungepauer. in Comment. super Decretales l. 1. de proc. t. 38. n. 55. arg. l. 25. ff. d. proc. asserit. Quin imo consensus adversarii ad mutationem procuratoris necessarius esse videtur, qui tamen ex solo facto aliquo alterius principalis colligi non potest: Ipse namque cum procuratore litis contestatione facta quasi contraxit,
& mu-

& mutatione personarum non leviter sæpius gravatur. Glossa ad l. 17. ff. de proc. verb. cognita. Cumque mandatum mutuo consensu conficiatur l. 1. pr. & §. 1. ff. mand. v. Lauterb. l. c. ad l. 17. t. 1. ff. mand. æquum est, ut eodem etiam modo dissolvatur. Nihil enim tam naturale est, quam eo genere quidvis dissolvi, quo colligatum est l. 35. ff. de R. J. Sæpius etiam, ex hac præsumptâ revocatione mandati Dominus causæ maximum sentit damnum, nemo autem regulariter præsumitur velle id, quod sibi damnosum est. arg. l. 25. ff. d. prob.

§. VI.

His tamen non obstantibus firma manet regula allegata Juris Canonici, quod sc. Dominus causæ tam ante quam post litem contestatam tacitè revocare, censeatur procuratorem suum, si causam litigiosam ipse vel per alium tractare incipiat. Recurramus enim ad causam, ob quam principalis procuratorem constituit, quæ quidem triplex esse potest; Committit enim principalis alicui litem suam, vel quia non vult, vel quia non potest eam ipse tractare, vel etiam quia magnam in certi hominis capacitate fiduciam ponit. Dum itaque ipse, illud facit, quod procuratori constituto alias incumberet, eo ipso tacitè indicat, vel quod non amplius opus habeat auxilio procuratoris, ipseque litem in se suscipere velit & possit, vel quod non adeo contentus sit cum procuratore, eumque remove & alium forsan in posterum dare constituerit. Nec ullo modo contrariantur nostræ sententiæ leges in contrarium adductæ. Eas enim omnes tam ex Jure Canonico quam ex jure civili desumas si rectè contemplabimur, deprehendemus

mus

mus oppido eas omnes loqui de eo casu, quando disceptatur de revocatione mandati a principali facta. Glossa ad nostram cap. pen. de proc. in 6to dicit esse, aliquos, qui ad casum hunc decidendum omnesque objectiones removendas asserunt, intelligi debere hoc capitulum ita, ut quidem Domino causam etiam post litem contestatam revocare procuratorem litemque in se suscipere, non verò alium procuratorem dare liceat. Sed refragatur huic asserto l. 17. ff. & l. 22. C. de proc. Quare & Glossa hanc sententiam rejicit, dicitque loqui hoc capitulum de eo casu, quando Domino revocanti mandatum post litem contestatam nec à procuratore nec ab adversario contradicatur. v. Gonzalez ad lib. 1. Decretal. t. 38. c. 13. n. 10. de proc. Sichard. l. c. n. 8. & Zoef loco alleg. Nolo nunc meam facere quæstionem, an procurator litis dominus hodiernum etiam per litis contestationem efficiatur, sed potius Lectorem ad Schilter. Exerc. ad Pand. 10. Carpzov. proc. civ. t. 5. art. 5. n. 5. seq. Excell. Dn. Bergerum Resolut. leg. obstant. Lauterb. p. m. 96. remitto. Aberrat hæc paululum à scopo nostro, nec multum ad rem nostram facit, cum, licet concedamus eum adhuc fieri litis dominum, inde tamen non sequatur, non posse eum juri suo quæsito renunciare, tam expressè quam tacitè, id quod leges omnibus permittunt L. 29. c. d. pactis. Ratio à Sichardo loco allegato data non adeo firmo nititur talo, cum totà die accidat, ut plures procuratores conjunctim in unà causâ dentur, & consequenter una instantia in plures dividatur personas. Quod verò Zoësius & Ungepauerus dicant, lædi per mutationem procuratoris ejus famam, illud verum esse potest, si expres-

expresse removeatur ex certis in legibus allegatis
causis, non verò si tacite id fiat. Solus enim actus
revocationis nullam turpitudinem post se trahit, sed
causæ, quæ ad mutationem procuratoris inviti re-
quiruntur, turpe aliquid sæpius in se continent.
Quod adversarium attinet, ille quidem mutationem
procuratoris à Domino causæ intentatam dissensu suo
impedire, imò procuratorem ex quasi contractu per
litis contestationem præsumto cogere potest, ut litem
continuet, sed si non expresse contradicat, pro tacite
consentiente habendus est, arg. l. 142. ff. d. R. J. con-
sentiens verò non potest dici gravari mutatione,
mandatum. Regula porro Juris in dict. L. 35. in con-
trarium adducta planè nobis non obstat. Ipsi enim,
supra in paragrapho præcedente asseruimus, taci-
tum vel minimum consensum procuratoris requiri
ad dissolvendum mandatum judiciale, sufficit itaque
mutuo consensu tolli mandatum, licet ille non sit ex-
pressus sed tacitus, vid. Tab. Axiom. l. 4. c. 36. Con-
sensus verò adversarii ex eo, quod tacet, colligitur,
in iis enim casibus, quos tacens, si vellet, impedire
posset, pro consentiente habetur arg. l. 6. c. mand.
Majoris difficultatis videtur esse sequens & ultima
objectio in eo consistens, quod nemo regulariter,
præsumatur velle id, quod sibi damnosum est, arg. l.
25. pr. ff. d. probat. jam verò ex præsumptâ hâc tacitâ
revocatione principalis maximum sæpè sentiat da-
mnum, facillimo tamen negotio & hæc repellenda
erit objectio. Non enim ex præsumptione hâc da-
mnum aliquid per se, sed tantum per accidens & ex
culpâ principalis venit, quæ culpa in eo consistit,
quod vel non doctiorem elegerit procuratorem,

B

vel

vel quod inconsulto eo actum aliquem judicialem à mandatario suo gerendum ipse expedierit, damnum autem quod quis ex suâ culpâ sentit, non sentire videtur l. 203. ff. d. R. J. Poterit & hîc applicari aliquo modo illud brocardicum, lex licet sit dura, tamen, ita est scripta. l. 12. §. 1. ff. qvi & à quibus.

§. VII.

Hæcque sententia Juris Canonici in foro nostro ubique fermè recepta, multisque præjudiciis confirmata est. Nec refert, utrum quis in judicio post procuratoris constitutionem comparuerit, an vero scriptum aliquod ab ipso confectum judici exhibuerit, sufficit ad tacitam mandati judicialis revocationem, quod actum aliquem judicialem expedierit. Unde, cum quidam olim Dresdæ mandatario constituto literas supplices, quas exhibendo articulos reprobatorias ad judicem dare solemus, ipse subscripsisset, & postea procurator suus in termino Documenta in originali producere vellet, adversarius vero ei objiceret, quod per dictas literas supplices ab ipso Domino, uti ex subscriptione colligendum erat, factas mandatum tacitè revocatum esset, suprema curia, Appellationum sequentem in modum die Sept. 1697. pronuntiare non dubitabat, daß Kläger sich an denen Documenten versäumet. Idem etiam obtinet in substituto, qvi, cum vices gerat procuratoris, non melioris conditionis potest esse, quam procurator ipse v. Exc. Dn. Dr. Berg. loco supr. all. p. 100. Mantica tr. d. tac. & amb. conv. l. 7. t. 22. n. 42. Rot. decis. 14. Placeat hoc assertum de substituto sequenti sententiâ confirmare. Actor liberorum Koberianorum substituto aliquo in termino dato leutationem contra sententiam

tiam ipse interponit, postea substitutus leutationem hanc prosequi vult, Schacherianus vero actor, ei opponit leutationem esse desertam, cum substitutio per interpositionem leutationis ab ipso actore interpositam tacite esset revocata. Unde supremum Appellationum Tribunal sequentem die 16. Sept. 1696. dabat sententiam, daß die eingewandte Leuterung desert und erloschen/ quæ sententia etiam in termino leutationis d. 27. Febr. 1697. confirmabatur.

§. IIX.

His itaque expositis, quæ ad stabiliendam cap. pen. d. procur. in 6to sententiam inservire poterunt: Nunc etiam videbimus, in quibus casibus capitulum hoc locum non habeat. Ipsum capitulum, aliquot nobis suppeditat exceptiones, quas optimè dispecere possumus in speciales & generales: Speciales sunt, (1.) quando Dominus causæ in casum absentiaë procuratorem judicalem dedit, (2.) quando principalis ad causam ideò venit, ut procuratori suo assistat, (3.) quando principalis expressè statim protestatur, se nolle per actum judicalem à se celebratum procuratorem revocare. Generalis est, quando ex conjecturis aliud apparet. Sicuti enim clavus clavum trudit, ita præsumtio præsumtionem excludit Mant. loc. alleg. Pauca quædam hujus generalis exceptionis enarrantur exempla, ex quibus patet, quod etiam ex conjecturis alia voluntas hominis colligi possit. Sunt vero ea sequentia, si forsitan aliquis imminet articulus in quo tu melius nosti veritatem, aut si procurator fit infirmus, vel forsitan absens, seu quicquid aliud accidat, propter quod præsentia tua sit opportuna. De singulis suo loco.

§. IX.

Prima verò specialis exceptio est, quando principalis procuratorem in eum casum constituit, quoties eum abesse contigerit. Tunc enim licet redux factus aliquoties litem ipse assumerit, non tamen ideo mandatum tale pro revocato potest haberi Cap. hoc nr. Ipsa enim virtus istius mandati in absentiam principalis sese demum exferit, & licet effectus per praesentiam principalis suspendatur, mandatum tamen non ideo dissolvitur, sed semper absente eo reviviscit. Probè tamen ponderanda sunt verba mandati ob absentiam dati: potest enim contingere, ut quis ob certum aliquod iter faciendum causam suam alicui committat, ubi sanè longè aliter se res habet. Ponamus casum, & res fiet clarior, v.g. Dicit aliquis, cum studiorum vel alià quavis ex causâ iter in Galliam meditetur, ego Mevius Titium procuratorem in absentiam meâ do, constituoque. Tunc enim, si revertitur postea Mevius, & insuper actum aliquem judicalem celebraverat, utique mandatum censetur esse sublatum. Cessât enim causa mandati, quæ fuit iter certum, ergò etiam necessario cessabit effectus scil. mandatum ipsum arg. l. 56. §. 2. ff. mand. Id quod & Mantica videtur innuere dicens, quod Domino reverso tacitè revocatus sit procurator, si absentia fuit causa finalis mandati, secus si ea fuerit, causa impulsiva. Mant. loco allegato.

§. X.

Secunda exceptio est, si principalis ad causam venit, sed procuratori suo assistat. Non enim prohibetur Dominus causæ suæ adesse ait Paulus l. 69. ff. de procur. Sed quando dicatur, Dominum venisse

ad

ad

ad causam assistendi gratiâ, illud non satis patet. Nos arbitramur, tunc intelligi principalem procuratori suo assistere velle, quando unâ cum eo in iudicium venit, nullumque planè actum ibi ipse celebrat, sed solummodo videt, quomodo & an secundum voluntatem suam procurator rem tractet. Sichard. d. l. n. 8. Ad evitandas tamen omnes disputationes optimè facturus est principalis, si semper coram iudice protestetur, se nolle per hanc præsentiam suam procuratorem tacitè revocare.

§. XI.

Unde securissima est tertia exceptio à protestatione desumpta. Tollit enim hæc omnem præsumptionem, quæ sanè non potest locum sibi vindicare, quando quis expressè declaravit voluntatem suam. Fieri verò ea potest vel verbis oretenus sc. v. gr. Titius erscheint in Person/ will aber dadurch die dem Mevio gegebene Vollmacht keines Weges aufgehoben haben. vel in scriptis, & optimè sanè facit principalis, quando ipsi mandato statim inferere sinit hanc clausulam, daferne ich aber ein und das andere mahl in Person erscheinen/ oder etwas selbst verrichten würde/ soll dadurch diese Vollmacht vor erlöschten nicht gehalten werden.

§. XII.

Generalis porrò nunc succedit exceptio, quæ regulam capituli nostri ita limitat, ut cesset ea, quando ex conjecturis aliud apparet. Referuntur etiam quædam exempla exceptionem hanc illustrantia, inter quæ primum est, si forsân aliquis immineat articulus, ubi tu melius nosti veritatem, cum quo coincidit ultimum, si quicquid aliud accadat, propter quod præsentia tua sit necessaria. Huc referendi sunt omnes

actus necessarii, uti sunt v. gr. quando principalis juramentum aliquod præstare tenetur, vel extra saxoniam, quando principalis ad positiones respondere, debet v. Mant. l. alleg. &c. In iis enim casibus & melius veritatem novit Dominus, & ejus præsentia est necessaria, nec potest per ejusmodi actus necessarios mandatum præsumi revocatum, quippe qui ceu personalissimi non possunt mandari. Quicquid verò in mandato non est comprehensum, illud licet dominus ipse expediat, non potest præsumtionem facere, quod principalis propterea revocare mandatum voluit. Imo sicuti in necessitatibus nemo liberalis præsumitur, l. 18 ff. d. adim. leg. ita nec de eo, qui necessariò aliquid in judicio facere debet, præsumendum est, quod per hoc tacitè removere procuratorem suum intendat. vid. Menoch. l. 2. præf. 36. Rot. decis. 25. d. procur. Ventilatum hoc fuit coram prætorio Lipsiensi in causâ Joh. Margar. Geißlern / und Conf. Kl. Contr. Paul Lorenzen und Conf. Bess. Injunctum ibi fuerat actrici delatum à parte juramentum præstare, ipsa igitur in termino comparebat, cumque de formâ juramenti præstandi non convenire possent, invicem, referebat illud reo, variis autem difficultatibus desuper subortis; Acta Dnn. Scabinis Lipsiensibus exhibebantur, qui per sententiam injungebant reo, ut juramentum relatum sub certis modis præstare debeat. In termino ad videndum jurari præfixo actor actricis nobilissimus Dr. Barthius Præceptor, quondam meus. omni pietatis cultu prosequendus comparebat, reus vero excipiebat, actricem ipsam debuisse comparere in judicio ad videndum jurari, quippe quod ea, cum semel præsens fuisset in judicio

cio præstitura scilicet juramentum, revocasset tacite actoris mandatum. Accusabat igitur ejus contumaciam, petebatque velint. Nob. Dnn. Scabini Lipsienses ita pronuntiare, ut relatum juramentum pro præstito habendum sit. Si verò non attentâ hâc rei exceptione mens. Maj. 1702. talem sententiam ferebant. daß Besl. an dem zuerkandten und referirten Eyde sich versäumet/ und wäre er Kl. die Unkosten dieses Termins zu erstatten schuldig.

§. XIII.

Sequitur secundum exemplum, quod in eo consistit, si morbo laborat procurator. Est enim morbus justum impedimentum, l. 2. §. 3. ff. si quis caut. in jud. sist. &c. & eo ipso dum principalis non alium dat procuratorem, sed ipse causam tractat, indicare videtur, se velle expectare, donec reviviscat prior procurator, nolleque eum mutare. Quod præprimis verum est, quando principalis consiliis adhuc utitur ægri sui procuratoris. Imo servire intelligitur adhuc æger, qui cupiens servire propter adversam, valetudinem impeditur l. 4. §. 5. ff. d. stat. lib.

§. XIV.

Tertium exemplum hujus est tenoris; si procurator forsitan se absentet. Per verbum absentare intelligitur hîc absentia honesta & necessaria. Quando enim quis ex delicto abesse cogitur, v. gr. relegatus est, eo ipso tacite censetur revocatus. Ejus namque conditio deterior facta est, nec ille in judiciis amplius causas tractare potest. Per verbum necessarium exclusam volo absentiam voluntariam, unde si procurator studio eo ipso die, quem ad causam, quæ ei commissa est, tractandam judex præfixit, & ubi

ubi non sine magno præjudicio principalis emanere potest, peregrè proficiscitur, neminemque in suum locum substituit, eo ipso tacitè renunciassè mandato, Dominusque causæ comparèdo loco ipsius tacitè approbassè renuntiationem procuratoris videtur. Aliter tamen se res habet, si procurator honestà ex causâ & necessariò abest, v. gr. si Reipublicæ causâ abesse cogitur, vel si principalis ipse eum in alium locum ad causas fortasse suas gerendas misit, tunc enim dominus causæ comparèdo eum potius sublevare & excusare, quàm removere velle censendus est. Justa namque absentia nemini debet esse damnosa l. 140. ff. d. R. J. justèque absens in iis, quæ in præjudicium suum vergunt, pro contradicente habetur Mant. l. all. nunc verò nec expressè statim nec tacitè removeri posse procuratorem contradicentem supra diximus, §. 6.

§. XV.

Expositis itaque iis exceptionibus, quæ textus ipse nobis suppeditabat: Nunc ventilanda venit quæstio, annon aliæ adhuc dentur exceptiones; quæ datam regulam capituli nostri cessare faciunt. Et sanè dari adhuc alias exceptiones nulli asserere dubitamus, moti præprimis eâ ratione, cum quod capitulum ipsum generalem exceptionem de conjecturis sumit, eæ autem variæ esse possunt, tum quod referendo exempla hujus exceptionis generalis tam generalia enumeret, quæ ad varios casus applicari possunt. Cum itaque lex generaliter loquatur, eo ipso licentiam nobis dat exquirendi alias species, quod & præprimis hîc faciendum est, cum capitulum nostrum, ceu odiosum magis magisque restringendum sit. arg. l. 19.

l. 19. ff. d. lib. & posth. In genere itaque dicimus, rem arbitrio iudicis esse committendam, quippe quod in rebus dubiis sequimur, & ipse iudicabit, quanam exceptiones hic locum habere possunt. Interim tamen vel duas ejusmodi libet proferre exceptiones, cum temporis penuria omnes in medium producere præcludamur.

§. XVI.

Non sane videtur principalis exhibendo iudici articulos probatoriales revocare velle procuratorem suum, si postea ei nihilominus citationem ad procedendum ulterius & forsân etiam documenta recognoscenda mittat. Ex iis enim clarissimè apparet firma voluntas Domini, quod retinere velit suum procuratorem, factaque tam aperta excludunt præsumtionem de revocando eo ex factis dubiis ortam: Nihil namque facit an conjecturæ hæc se statim, an vero paulo post se exserant, modo ante terminum appareant, factaque, ex quibus conjectura contraria sumenda est, clara sint & statim possint probari. Relatum memini quondam à Præceptore meo scientissimo Dn. Dr. Andrea Mylio Professore quondam Juris & Syndico Lipsiensis celeberrimo, ipsi illud in causâ nobilis cujusdam de Dieskan accidisse. Ille enim procurator constitutus dicti equitis articulos probatoriales fecerat, eosque perlustrandos mittit, principali suo, qui eos postea inconsulto eo iudici exhibet. Postquam verò in termino ad producenda documenta præfixo procedere satagit, adversarius ipsi opponit mandatum suum per exhibitionem articulorum reprobatorialium à Domino iudici factam.

C
taci-

tacite revocatum esse, sequebaturq; sententia, quæ probationem desertam pronunciabat. Ipse autem dictus procurator sententiâ hâc per leutationem suspensâ deducebat, non locum hîc posse habere exceptionem adversarii, cum principalis post illum actum judicialem miserit per servum suum citationem & documenta omnia causæ inservientia, imò inferebat actis juratum attestatum servi de eo, quod is omnia hæc jussu Domini ei apportasset, unde in sequenti termino sententiâ priore correctâ potestas ei dabatur procedendi in suâ probatione.

§. XVII.

Nec potest dici, revocasse principalem tacite procuratorem suum, si literas supplices, quas exhibendo judici articulos probatoriales ad eum dare solemus, ipse subscripserit, factâ tamen in eis mentione procuratoris asserendoqve, procuratorem jussu suo articulos hos confecisse. Eo ipse enim dum principalis in literis his procuratorem suum autorem articulorum reprobatorialium nominaverat, laudare eum factaqve sua approbasse videtur, nunquam autem præsumendum est, me velle removere eum, cujus facta laudo & approbo, præprimis cum ejus consilio in posterum adhuc opus habeam. Unde Tribunal supremum Appellationum Dresdense, cum in supra §.7. allegatâ causâ principalis urgeret, se in literis supplicibus idem fecisse, priorem sententiâ mutare itaqve pronunciare non dubitavit 2. Mart. 1698. Nunmehr aus denen Acten so viel zu befinden/ daß Best. an denen Documenten sich nicht versäumet.

Non

§. XIX.
Non adeò firma est exceptio Menochii, quam l. 12. præsumt. 36. n. 7. suppeditat, statuentis quod mandatum non præsumatur revocatum, si eo ipso die, quo constitutus est procurator, principalis aliquem actum judiciale in eâ causâ exercuerit. Potest enim uno momento accidere aliquid, quod principali causam dat revocandi illicò procuratorem. Unde si tales actus ipse facit, quos procuratori commisit, nec oportune statim ex facto alio Domini voluntas ejus retinendi procuratoris appareat, non video, cur non etiam huc trahi possit sententia capituli nostri.

§. XIX.
Non verò pariter præsumi potest de muliere, eam procuratorem suum revocare velle, si eam in judicio vel sola comparuerit, vel appellaverit, vel alium quemvis actum verbis vel in scriptis celebraverit. Mulier enim per se non habet personam standi in judicio, nec potest dare mandatum sine curatore, ergò nec poterit illud sive tacitè sive expressè sine curatore tollere. Idem obtinet in minore similibusque personis ob identitatem sc. rationis. Nec etiam per actum aliquem extrajudiciale vel eum, qui non passum processus concernit, ab ipso principali factum tacitè revocatum intelligitur mandatum, quippe de quo capitulum nostrum non loquitur. Unde cum in causâ Joh. Margar. Geißlern/Sl. contra Paul Lorenzen und Cons. coram Præturâ Lipsiensi agitata actrix supplices literas ab ipsâ cum curatore subscriptas ad Electorem pro impetrando mandato,

ut acta in aliud Collegium mitterentur, dedisset, actori in termino Documenta producere volenti adversarius opponebat exceptionem tacitæ revocationis actoris ex subscriptione istâ colligendæ; sed Inclita Facultas Wittebergensis Mens. Nov. 1698. in sententiâ exceptionem hanc planè non attendit, sed potius super recognitione eventualiter ab adversario facta pronunciavit. Non possumus etiam præterire, quod mandatum generale ad omnes causas non præsumi possit revocatum per aliquem actum judicialem in unâ duntaxat causâ à principali factum. Limitatur enim per eum actum mandatum quidem generale, non tamen tollitur totum. Derogat enim species generi, non tamen genus tollit arg. l. 80. ff. d. R. J.

§. XX.

Coronidis loco aliquas libet adjicere quæstiones, inter quas prima erit, An restitutio in integrum datur ei, qui ex præsumptione hâc tacitæ revocationis mandati læsus est. Dari eam minoribus iisque omnibus, qui pari cum minoribus gaudent privilegio, in propatulo est, patetque ex t. t. ff. d. min. 25. ann. Sed an majores etiam ex generali videlicet clausulâ, *si qua mihi iusta videbitur*, restituendi veniant, videndum est. Tota sanè hæc restitutio ab arbitrio Judicis dependet, qui pro ratione circumstantiarum eam impertire vel denegare potest. Interim tamen arbitramur non posse eam locum hîc habere, cum non appareat, qualem justam causam allegare majores possint ad obtinendam hanc restitutionem: quippe quæ sine causâ non datur, nisi prætexere velint errorem

rem juris, læsi autem errore juris non restituuntur.
l. 9. C. d. condict. indeb. & licet aliqui dentur, quibus
jura ignorare permissum est, ii tamen non opus ha-
bent restitutione, cum ipso jure sint tuti l. pen. pr.
ff. de jur. & fact. ign. l. 1. 2. & fin. C. eod.

§. XXI.

Secunda quæstio esto, an obtineat assertum ca-
pituli nostri in processu tam ordinario quam sum-
mario. Nihil obstat, quod nos movere possit, ne
illud asseramus: Imò videtur debere illud in pro-
cessu summario multò magis obtinere, cum litis con-
testatione in eo opus non sit, litis enim contestatio
à procuratore facta in ordinario processu maximum
impedimentum Domino mandatum revocare vo-
lenti facit. In causis tamen mercatorum non debe-
re observari capitulum hoc nostrum exinde puta-
mus, quia in iis apices juris non considerandæ sunt,
eæque potius ceti maximè privilegiatæ de simplici
& plano tractandæ veniunt.

§. XXII.

Tertio quæritur, An si Advocatus nomen prin-
cipalis, v. gr. leutationi, appellationi &c. subscribat,
an per hoc mandatum procuratoris tacitè sit revo-
catum? Ansam quidem hoc dare potest protelandi
per disputationes varias processum, interim tamen,
non arbitramur, quod mandatum per hoc possit ha-
beri pro tacitè revocato. Nec locum hîc invenit
distinctio illa, an Advocatus id jussu domini an verò
invito, eo fecerit. Nam si primum dicatur, cum
C 3 opor-

oportuisset proferre unà mandatum domini, sine
quo non potest in hoc casu præsumi mandatum re-
vocatam, cum plerumque jura pro subsistentiâ rei
alicujus potius quam pro ejus destructione præsumant.
Si verò invito Domino ab Advocato principalis no-
men subscriptum fuerit, illud nihil planè operari po-
test, cum iste potestatem mandatum tollendi non
habeat.

Secundò quaeritur, an principalis admittendus sit
ad juramentum, si jurare velit se fecisse actum ali-
quem judicialem animo revocandi procuratorem
suum? Aequitatis ratio videtur postulare, ut admit-
tatur principalis ad juramentum. Si enim conje-
cturae sufficiunt ad elidendam hanc juris Canonici
dispositionem, multò magis verbis expressâ volun-
tas id operabitur, nec etiam præsumendum est, ho-
nestum virum falsum aliquid per juramentum esse
asseriturum. Interim tamen non leviter obstat, quod
si contra legum dispositionem cuique iurare liceret,
leges parum vel nihil valiturae essent. Parum ita-
que abest, quin dicamus principalem adjurandum se
offerentem non esse admittendum ad juramen-
tum, malum tamen arbitrio judicis decisum re-
linquere. Sanè videtur, posse judicem quando-
que principali deferre juramentum, si contendat se
non animum mandatum revocandi habuisse. Duo
autem hic consideranda veniunt juramenta, supple-
torium & purgatorium. Suppletorium non videtur
locum hic habere, quippe quod præviam semiple-
nam probationem exigit. Nam si principalis con-
trari-

trariam voluntatem semiplene probavit, hoc est, si ad-
sint æque fortes conjecturæ tam pro mandato susti-
nendo quam pro revocato, non opus erit juramento
suppletorio, cum jura plerumque pro validitate rei
præsumant, præsumendumque sit semper in melio-
rem partem, inque favorem ejus, qui de damno vitan-
do certat. Si verò non semiplene probaverit princi-
palis, hoc est, si vel plane nullæ vel insufficientes ad-
sint conjecturæ pro mandato sustinendo, non video
quomodo juramentum suppletorium locum habere
queat. Quod purgatorium attinet, illud videtur,
magis hîc locum sibi vindicare, quippe quod judex
suspicionibus gravato pro ratione circumstantiarum
tam in rebus civilibus quam criminalibus deferre,
potest, v. Lauterb. in Compend. Juris Civ. ad. l. 12. t.
2. d. jurej.

§. XXIV.

Ultimo loco quæritur, An judex ejusmodi pro-
curatorem, qui pro tacite revocato habetur, possit
ex officio à judicio removere, si postea in causâ pro-
cedere velit, nec alius novus procurator vel princi-
palis ipse compareat? Non posse verò eum à judice
removeri, exinde colligimus; quod nondum cer-
tum sit, an principalis per actum aliquem judicia-
lem revocatum velit procuratorem suum nec ne.
Ipsam enim capitulum nostrum asserit, dari adhuc
alias conjecturas, quæ excludunt præsumtam revo-
cationem mandati. Nec obstat, quod nemo sine
mandato admittendus sit, Vallensis in paratitl. Juris
Canon. l. 1. t. 38. d. proc. §. 6. Nondum enim dici po-
test, eum nullum habere mandatum, cum per con-
jectu-

jecturas primum mandatum adhuc sustineri queat. Imò principalis eo ipso, quod sciens patiatur procuratorem tacitè revocatum in causâ procedere, eum rursus tacitè constituissè videtur Mant. l. all. n. 2. quod verum est, si adversarius desuper non contradicat. Et hæc sunt, quæ pro modulo ingenii nostri de hâc materiâ differere volui. Plura quidem, adhuc dicenda restarent, sed brevitatis temporis me jubet finem huic dissertationi imponere. Sisto igitur hîc gradum, gratiisque humillimis DEO ter Opt. Max. pro auxilio suo mihi præstito actis, favori Lectoris me meumque opusculum hoc optimè commendo.

Corollaria.

I.

Unius rei plures possunt esse fines.

II.

Non facienda sunt mala, ut inde eveniant bona.

III.

Clausula codicillaris non presumenda est in testamento paterno.

•§ (O) §•

Ulrich Henberg, Diss., 1702 S-2-
1703

ULB Halle

3

003 949 826




f

1702

1703







14

Bra. 11. num. 1
15
1782
36

Disputatio Inauguralis Juridica
De
**Revocatione Pro-
curatoris Tacita**

ad ductum Cap. pen. de Procuratoribus in Sexto,
quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

PRINCIPE REGIO ET ELECTORATUS SAXONICI
HÆREDE ETC. ETC.

PAY
Permissu Inclytæ Facultatis Wittebergensis
PRÆSIDE

DN. GODOFR. STRAUSSIO, Jcto,

& Antecessore celeberrimo, Potentissimi Regis Poloniarum
atque Saxonie Electoris in supremo Provocationum Judicio, nec non Se-
renissimi Principis Anhaltini Servest. Consiliario Aulico Splendidissimo,
Facultatis Juridicæ in hac Universitate Ordinario, Decret. Prof. Publ.
Curie Electoral. Consistorii & Scabinatus Assessore Gravissimo,

Dn. Cognato ac Patrono suo colendissimo

Pro Licentia

Summos in utroque Jure Doctoris
Honores impetrandi,
placido eruditorum examini sistit & subjicit

ad Diem X. Octobr. A. M DCC II.

GOTTL. BENJAMIN FUHRMANN, Dresdenf.

WITTEBERGÆ, Typis CHRIST. SCHROEDTERI, Acad. Typ.

